





160  
1. 8  
2. v  
3. 2  
4. 1  
5. 1  
6. 1  
168  
1. 1  
2. 1  
3. 7





CONJECTURARUM  
JURIS FEUDALIS.

DISPUTATIO II.

Quam  
DEO PROPITIO,

PRÆSIDE

JOANNE REBHAN,

D. Cap. Colleg. ad D. Thomæ Præ-  
pos. S. Cæs. Pal. Com. & Colleg. Juridici Senio-  
re, Cod. & Feud. P. Ord. &c.

*publicè disputandam  
exhibet*

JOANNES CHRISTOPHORUS HIEN,  
Trarbacensis.

*d. mens. Octobr. horis, locoque solitis.*

A. O. R. clō lōc LXXXII.

ARGENTORATI,

Literis JOHANNIS WILHELMI TIDEMANNI.



SERENISSIMO. ET. CELSISSIMO.  
PRINCIPI. AC. DOMINO.

DN. CHRISTIANO. III.

SERENISSIMORUM. AC. CELSISSIMORUM.  
PRINCIPUM. ET. DOMINORUM.

DN. CHRISTIANI. II.  
PRINCIPIS.

OPTIMI. MAXIMI. FELICISSIMI. PATRIS.  
PATRIÆ. AUGUSTI. DOMINI. MEI. CLEMENTISSIMI.  
FILIO.

DN. CHRISTIANI. I.  
GLORIOSÆ. MEMORIÆ.  
NEPOTI.

PRINCIPI. PALATINO. DUCI. BAVARIÆ. COMITI.  
VELDENTIÆ. SPONHEMII. ET. RAPPOLSTENII. DOMINO.  
IN. HOHENACK. &c. &c.

AD. ÆTERNITATEM. NOMINIS. ET. GLORIAM.  
ELECTORALIS. DOMUS. PALATINÆ.

NATO.

IN. PRIMO. ADHUC. ÆTATIS. FLORE. NATIVUM. SANGUINIS.  
HEROICI. SPLENDOREM. CUM. ADMIRATIONE. SINGULARIBUS.  
PIETATIS. ORTHODOXÆ. AC. VIRTUTUM.  
PROFECTIBUS. ILLUSTRARE.

NITENTI.

DISPUTATIONEM. HANC. FEUDALEM. FEUDORUM. MULTO.  
RUM. REGALIIUM. SUCCESSORI. DIGNISSIMO. SUBJECTORUM.  
ULTIMUS. PRIMUS. SUBMISSE.

D. D. D.

Johannes Christophorus Hien,  
Trarbacensis.





CAP. II.

*Distinguendum est, inter constituere feudum, & feudum acquirere: textusq; 1. Feud. 25. & 2. Feud. 1. in fin. nec non 2. Feud 33. declarantur & conciliantur.*

I.

**V** Apulat compiler jurium feudalium, saltem *Obertus de Horto*, ab Interpp. librorum Feudorum, circa usurpationem terminorum horum, *constituere feudum, & feudum acquirere*: quasi minùs accuratè iisdem utatur, modosque constituendi feudum, cum modis feudum adquirenti inconsideratè confundat. D.D. Ludvvel. *in synopsis Feudal. c. 7. in princ.* Quem cum, è contra, alii defendere voluerunt, altercandi Dd. & Interpp. circa distinctionem hanc præbuerunt occasionem.

II. Etenim sunt, qui distinctionem hanc simpliter reprobant: & vicissim, promiscuum verborum horum, maximè in libb. feudorum, usum esse, simul & significatum, satis confidenter asserunt & supponunt. Alii è contra, distinctionem hanc omninò approbant, terminosque hosce formaliter inter sese differre, evidentè demonstrant. Denique alii sunt, qui verba hæc alio atque alio significato usurpant, explicant & applicant. Visum itaque mihi ex re studiosorum Juris feudalis esse, si hoc *Cap. II.* in distinctionis hujus veritatem & legalitatem non nihil accuratius inquirerem, ipsiusq; in Jure feudali usum, simul & Feudistam à sequiore hac nota vindicarem.

III. Et sanè, ex J Ctis, qui verba hæc in libb. Feudorum promiscuè usurpari, eademque, qua usum Juris feudalis neutiquam inter sese differre tradunt, sunt Rosenthal. *de feud. c. 6. conclus. 1. & 6.* & quos ibidem in sententiam hanc laudat, more suo, plures: quibus calculum addit Bocerus, *tract. de Investitur. feud. c. 2. n. 20.*

A

qui



qui omnes ab ipso in hoc dissentientes, contrariumque asserentes & propugnantes, erroris paroramatici redarguit, quasi non animadvertissent, ex his ipsis juris feudalis textibus, qui ex libb. feudorum pro distinctione hac asserenda & probanda ab illis adducuntur, contrarium evidenter apparere: ceu in quibus idem feudum, quod modo dicitur constitui, ut in 1. Feud. 25. ibi. *feudum sine investitura nullo modo potest constitui*, dicatur etiam acquiri, nempe 2. Feud. 1. in fin. ibi. *feudum nemo potest acquirere, nisi investitura &c.* & 2. Feud. 33. ibi. *sciendum est, feudum acquiri investitura.* Hinc D. D. Arum. 5. feud. 3. negativam hanc veriore dicit; affirmativam verò hoc asterisco notat, nempe, distinctionem hanc, si modo etiamnum, quod res est dicere liceat, magis subtilem, quam veram esse. Cui suffragatur Rittershus. 1. partit. feud. 8. quest. 1. licet, inquiring, nonnulli ita subtiliter distinguant: necessum tamen est, confiteri, quod idem sit feudum, tam illud quod constituitur, quam hoc quod acquiritur. Imò Zabel. in 4. feud. §. lit. a. dicit, distinctionem hanc Juri feudali penitus incognitam esse, feudistamque hisce, constituendi & acquirendi verbis, qua feudum, promiscuè uti, confidenter postulat: quippe quod, *pergit*, idem feudum, quod dicitur, sine investitura non posse constitui. d. 1. Feud. 25. dicatur etiam sine investitura non posse acquiri, sensuque prorsus eodem. d. 2. Feud. 1. §. 1. & 2. Feud. 33. siquidem non tantum juris feudalis Auctoribus, morem hunc non fuisse tam subtiliter circa verba communia cernere, tantamque ἀκριβειαν grammaticam observare: Verum etiam nec ipsis veteribus Jctis & Imp. Romanis, distinctionem hanc probatam fuisse: cum in l. 11. §. 1. ff. de publician. in rem action. Ulpianus Jctus expressè dicat, servitutem non tantum per stipulationem; verum etiam per traditionem (*hanc autem modum acquirendi esse, etiam novis Justinianeis notum est ex §. 40. ff. de R. D.*) constitui: & Paulus Jctus in l. 138. §. 1. ff. de V. O. stipulari viam, & constitui viam invicem opponat. Etiam Imp. Diocletianus & Maximianus AA. in l. 5. C. de O. & A. phrasi hac utantur, ibi: *Obligationi constituta, h. e. traditione consummata, ubi scil. res jam tradita vel alterius interesse accepit.* add. Hilliger. 11. D. E. 10. lit. c.

IV. Huic sententiæ quam proximè accedere videntur illi,



illi, qui verba hæc, *constituere feudum & adquirere feudum*, cum ipsis causis constituendi, modisque acquirendi feudum confundunt. Horum Antesignanus est Franc. Hottomannus, qui in *disp. feud. 15. v. 17.* inter modos acquirendi feudum, non tantum investituram, & successionem; Verum etiam ultimam voluntatem, donationem, stipulationem & Emptionem Venditionem recenset: quem in hoc sectari videntur Schrad. *tr. de feud. cap. 1. D. D. Georg Obrecht. 2. Feud. 4. n. 2. Finckelthuf. 6. feud. 1. & seq.* etiam D. D. Ludvvel, in *synops. feudal. c. 5. in princ.* Anton. Monach. *tr. de recta feud. interpretat. cap. 2.* qui propterea modos & constituendi & acquirendi feudum ad causam efficientem, contra Regg. logicorum, referunt.

V. Econtra, qui distinctionem hanc ex Jctis asserunt, verbaque hæc, *constituere & adquirere feudum*, reapse & qua actus ipsos, atque sic formaliter inter sese differre docent, sunt Schneidevvein. *tr. de feud. p. 4.* Matth. Wesebec. *tr. de feud. c. 6. in princ.* Carpz. *5. disp. feud. 1. & seq.* Vultej. *1. feud. 7. n. 11. & 1. disceptat. scholastic. 16.* Hunn. *10. de feud. 1. D. D. Georg Obrecht. 2. Feud. 11. n. 2. D. D. Bitsch. in comm. ad 1. Feud. 25. notab. 2. etiam D. D. Ludvvel, hætenus sibi contrarius, in d. synops. feudal. c. 7. in princ.* D. D. Mauritius. *5. posit. feudal. 1. Eguinar. Baro. in comm. ad 1. Feud. 25.* Anton. Cont. *in Method. feudal. c. 7.* Crag. *tract. de feud. 1. p. 127.* Gomez. *2. V. R. 15. n. 22.* & qui plures alii, à modo nominatis laudati: quam suam sententiam firmant, 1. Auctoritate Imp. Justiniani. A. in *§. ult. Inst. de servitut. & §. 1. J. de Usufruct. junct. princ. J. de Usu & habitat.* sic accuratè distinguunt. Nec non. 2. Auctoritate Vett. Jctorum Romanorum, qui pariter sic distinguunt, maximè in materiis cognatis & feudo affinis, e. g. servitutibus, in specie, in Usufructu, ut Gaius in *l. 3. §. 3. l. 6. §. 1. & seq. ff. de Usufruct.* Item, Hermogenianus in *l. 61. §. 1. ff. de A. R. D. ibi. usufructus sine persona constitui non potest.* & Paulus in *l. 26. ff. de pignor. act. ibi. etiam Testamento pignus constitui potest.* Item in Peculio. *l. 7. §. 1. ff. de pecul. & Celsus Jctus in l. 6. ff. eod.* nempe, singula hæc jura & quæ alia talia constitui ultima voluntate, & pactioibus & stipulationibus; Non autem eadem æquè his modis adquiri. *l. 3. ff. de O. & A. l. 20. C. de pact.* Denique 3. auctoritate ipsorummet quoq; Feudistarum, ut in rubr.





1. Feud. 25. quib. mod. feud. constituit. nec non in nigro, eod. Tit. ibi. feudum, sine investitura, nullo modo constitui potest. Item. 2. Feud. 1. §. 1. ibi. feudum neminem acquirere posse, nisi investitura & successione. 1. Feud. 14. in fin. ibi. per investituram adquisiverit. 2. Feud. 33. ibi. feudum acquiri investitura & successione, vel eo, quod habetur pro investitura, 2. Feud. 88. ibi. per investituram adquisiverit, sine possessionis traditione. Ex quibus inferunt, quod cum revera alii sint modi, quibus feudum constituitur, & alii, quibus feudum acquiritur, necessarium sit, terminos quoque hosce, constituere feudum, & acquirere feudum, inter sese revera differre, & quidem formaliter; non accidentaliter tantum.

VI. Hinc alii, qui quidem inter constituere feudum, & acquirere feudum, differentiam quampiam agnoverunt & admiserunt; à fonte tamen, unde hæc verborum horum distinctio, sive differentia dimanet, hæc aberrarunt, dum hæc verba, non tam formaliter, quam accidentaliter tantum, nempe ratione subiectorum, de quibus, & quatenus de illis prædicantur, inter sese differre tradiderunt, ita ut constituere feudum, retulerint ad Dominum, h. e. feudum dantem, deque hoc solo id prædicari asseruerint: cum omnino solus Dominus sit, qui constituat feudum, hoc est, constituat vasallum in feudo. d. 1. Feud. 25. Acquirere verò feudum ad vasallum, h. e. feudum accipientem, utpote qui solus, cui feudum acquiritur: hancque in sententiam inclinare videtur etiam D. D. Struv. in syntagm. feud. 7. aphorism. 2. & 11. ubi promissionem feudi & constitutionem feudi, cum Hillig. d. 1. invicem opponit: Atque hi sententiam hanc suam probare satagunt. 1. ex rubro simul & nigro. d. 1. Feud. 25. de mod. quib. feud. constit. & ex 2. Feud. 33. Illic enim de constituere feudum, expressè de Domino feudum Vasallo dante & conferente prædicari, atque ad eundem referri: Hic verò, de acquirere feudum, prædicari de Vasallo feudum à Domino accipiente: ita ut sensus utriusque textus hic esse videatur, nempe, quod quando Dominus feudum constituit, sive Vasallum in feudo constituit, hoc ipso simul quoque Vasallus feudum acquirat: & vice versa, quod, quando Vasallus feudum acquirat, hoc ipso simul Dominus feudum, & Vasallum in feudo constituat, sive, Vasallus à Domino in feudo constituatur: ita ut con-



ut constitui Vasallum à Domino in feudo, sit feudum à Vasallo  
adquiri: & vice versa, feudum à Vasallo adquiri, sit Vasallum  
à Domino in feudo constitui, sive, feudum à Vasallo adquiri,  
si à Domino Vasallus in feudo constituatur, h. e. feudum à  
Domino constitutum accipiat.

VII. Hos inter altercantes Doctores JCros, si nobis ar-  
bitrandi, & conjecturandi æqua esset potestas, diceremus, illos  
invicem non tam dissentire, quàm terminorum horum, *feudum*  
*constituere*, & *feudum* *adquirere*, ambiguitate vel falli vel fallere,  
modumque considerandi diversum, cum re ipsa considerata  
confundere. Non morabimur hic id, quod primo statim in-  
tuitu omnium oculos incurrit, nempe, *aliud esse constituere feu-*  
*dum*, & *aliud quempiam in feudo constituere*: Constitui inter quosdam  
*feudum*; & *constitui quempiam à promittente*, secundum e. g. conventio-  
*nem, in feudo*: quemadmodum aliud est, *constituere Usufructum*,  
& *aliud quempiam in usufructu legitime constituto reapse constituere*, h. e.  
in quasi possessionem hujus juris immittere: quibus tricis in-  
volvuntur, qui *in subjectis*, terminorum horum differentiam  
quæsitant, citra ullum juris fundamentum, ac citra omnem  
rationem: cum plus quam manifestum sit, quod constituere  
feudum & in feudo sic constituto aliquem constituere, neuti-  
quam sit unus idemque actus; sed planè diversi actus, saltem  
secundum stylum ac naturam artis Juris: neque etiam iidem  
sint, qui feudum constituunt, sive, à quibus feudum consti-  
tuitur; & à quo quis in feudo constituitur & qui quempiam  
in feudo constituit.

VIII. Ut itaque ad nodum hunc explicandum propius  
accedamus: res omnium notissima est, ipsa verba hæc: *consti-*  
*tuere & adquirere*, esse ambigua, atque pro diversitate acceptio-  
nis, eadem diverso usurpari significato, uti videre est apud  
*Lexicographos*, imprimis *Spigelium*, *Schardium*, *Brissonium*, *Calvinum*,  
& alios: nosmet ipsi quoque horum verborum homonymiam,  
nonnihil fusius exposuimus in *Hodegeta Juris*, edit. noviss. p. 68.  
*in fin.* & p. 200. nec non p. 704. ad quem etiam, brevitatis studio,  
studiosum Juris remissum volumus. Ex inibi tamen dictis,  
hæc pauca, ad problema hoc nostrum, *an & quatenus feudum con-*  
*stituere & adquirere, inter sese differant?* definiendum, hic applicare



nobis licebit : nempe, distinguendum esse, inter verborum horum, *constituere feudum*, & *acquirere feudum*, acceptionem *generalem sive latiore*, quatenus nempe sensu complexo & correlativo singula sumpta, non tantum utrumque actum; Verum etiam utrumque agentem simul implicant & comprehendunt: Et deinde inter eorundem verborum acceptionem *specialem & strictiorem*, quatenus nempe in sensu diviso, *constituere & acquirere*, actus pariter atque agentes diversos, sibi que invicem relative oppositos designant & significant. Qua ipsa verborum horum diversa acceptione supposita, non quidem inficiamur, verum esse, quod terminis hisce late sumptis atque acceptis, quemadmodum verbo, *constituere feudum*, omnia & singula, quae quocunq; modo ad feudum & constituendum & constitutum pertinent, atque sic ipsa etiam adquisitio, & ipse acquirens comprehendantur: Ita quoque & pariter, verbo, *acquirere feudum*, universus actus, cum omnibus suis requisitis, quae actum acquirendi spectant, designetur, adeo ut ipsa etiam feudi constitutio, sive promissio, causa & Titulus & quaecunq; alia, ad justam acquisitionem pertinentia, ipsa etiam persona constituens, eodem comprehendatur; quatenus, nempe, nemo feudum constituere, sive à nemine feudum constitui potest, nisi simul sit, qui idem acquirat, aut à quo id acquiratur: & vice versa: nemo pariter feudum acquirit, sive à nemine feudum acquiri potest, nisi simul sit, qui id prius constituit, sive à quo id prius constituatur. *arg. §. 3. F. de servit. d. l. 61. §. 1. ff. de A. R. D. ibi. ususfructus sine persona non potest constitui, h. e. cui acquiratur*, quo sensu etiam feudista dicit, feudum sint investitura non posse constitui. *d. 1. Feud. 25. junct. 2. F. 1. §. 1. & 2. Feud. 33.* Etenim non tantum Dominus, rem suam, sub conditione & qualitate feudali sive vasallagii dari, stipulanti promittens: Verum etiam ipse stipulans à Domino, rem quampiam, sub conditione & qualitate feudi, sive vasallagii, dicuntur *feudum constituere*: & vice versa: non tantum accipiens rem in feudum dari constitutam, dicitur *feudum acquirere*; Verum etiam rem in feudum dari constitutam, alteri tradens, dicitur feudum sive jus vasallagii sibi acquirere: ita ut *feudum constituere*, & *feudum acquirere*, in utroque contrahentium, utrumq; actum, suo modo implicet,



implicet, ac tam stipulans, quàm promittens feudum, rectè dicantur feudum sive jus vasallagii constituere: & vicissim: tradens pariter, & accipiens feudum sive jus vasallagii, suo modo feudum acquirere. *Specialiter* verò atque *in sensu diviso*, & *proprio* terminis hisce sive verbis sumptis ac suppositis, res omnium evidentissima est, quod verba hæc, *constituere & acquirere feudum*, quocunque etiam modo eadem considerantur, sive *Grammaticè*, in sua quodlibet notione nativa, propria, atq; sibi peculiari: vel *Logicè*, tanquam antecedens & consequens, aut ut prius & posterius; vel *Juridicè* & secundum cujuslibet actus indolem ac naturam, indeque oriundos effectus: semper tamen & perpetuò, ut correlata sibi invicem opponuntur, ita ut alterum de altero, neque *materialiter*, neque *formaliter* prædicari possit; sed semper duos, eosque diversos supponant actus, alterum scil. quo feudum initiatur sive constituitur, quod sit vel ultima voluntate, vel pactionibus & stipulationibus. *arg. d. S. ult. de servitut. & S. 1. J. de Usufruct. l. 3. ff. eod.* alterum verò, quo feudum sic ritè constitutum demum acquiritur, sive in quo quis constituitur, quod sit per traditionem, hancque vel veram, vel quasi, h. e. investituram veram vel quasi, sive præsumptam. *d. l. Feud. 25. d. 2. Feud. 1. S. 1. & d. 2. Feud. 33.*

IX. Etenim Jus feudi, cum sit jus quoddam in re, hoc, ut revera tale sit, necessum omninò est, ut prius tale quoque constituatur, sive tale sit constitutum: quippe quod nullum jus in re esse possit, nisi prius inter contrahentes tale constituatur, vel ut tale sit, inter eosdem sit constitutum: Constitutum autem tale licet jam sit; non tamè statim & hoc ipso simul, ipsum feudum sive jus feudi plenum, ac jus in re stipulanti acquiritur, sive ad stipulantem pertinet. *2. Feud. 11.* sed opus insuper est traditione, s. investitura, & hac vel vera vel quasi sive præsumpta. *d. l. 3. ff. de O. & A. d. l. 20. C. de pact. & passim in jure.* Hinc Joh. Andreas Georgi *in repetit. feudal. c. 14. n. 19.* dicit, *in feudo tria ad actus hujus perfectionem requiri. 1. Constitutionem, sive Concessionem: 2. investituram, quæ est confirmatio: & denique 3. inductionem in possessionem, quæ est ipsa consummatio.* Atque actuum horum diversitatem ipsa quoque effectuum inde oriundorum diversitas apprimè ostendit: siquidem prior actus, sive constitutio, tan-

tum





tum jus ad rem producit, h. e. facultatem, rem jam in feudum constitutam, tanquam debitam, ex condicto, actione in personam persequendi: posterior verò actus demum operatur jus in re, sive facultatem, rem sibi jure feudi habendi, eamque ut feudum suum vindicandi, à quocunq; etiam possessore: adeo, ut constitutio feudi, & ejusdem adquisitio sese invicem habeant tanquam prius & posterius, sive ut antecedens & consequens, sitque constitutio instar novæ formæ procreatricis; adquisitio verò instar ulterioris ejusdem propagationis: atque ideo illam hanc ipso ordine naturæ necessariò præcedere; hanc verò illam insequi oporteat: uti enim docet Hortens. ad S. vendite. 41. J. de R. D. ibi. *causam tradendi omninò traditionem præcedere; saltem non sequi debere: cum alterum sic sit in altero, ut causa in facto, quæ si sine facto; vel contra, si factum sine causa sit, totum quod agitur, imperfectum, in certum & suspensum est: cum multa accidere possint, ut quis rem non capiat sive adquirat, utpote, qui tantum actionem in personam habet, qua persequi potest, quicquid constituentem e. g. ex contractu sibi dare, tradere, præstare oportet.*

X. Quamvis non negemus, fieri posse, ut uterque actus nonnunquam & per accidens, ita tempore concurrant appropinquando, ut alter prior, posteriori altero quasi occultetur, dicimus, celeritate peragendi ita ambo jungantur, ac si unus idemque numero actus sit. *fac. l. 3. §. 12. ff. de donat. inter V. & uxor.* atque propterea, quod de alterutro propriè dicitur, etiam alteri, propter causæ & negotii continentiam & adpropagationem, simul tribuatur & de eodem prædicetur: cum tamen, diverso hoc respectu supposito, revera duo sint actus, hoc est, uterque actus & constituendi & acquirendi implicentur ac contineantur, hætenusque termini hi, constituere feudum & adquirere feudum, tanquam alius & alius, etiam in tali negotio omninò sint distinguendi. Thom. Lindeman. §. feud. 1.

XI. Ex quibus jam apparet, quàm facile sit ad supra inductas dubitandi rationes respondere: imprimis verò textum 1. Feud. 25. cum textu 2. Feud. 1. §. 1. & 2. Feud. 33. conciliare. Etenim evidens est, feudistam in d. 1. Feud. 25. supponere plures esse modos constituendi feudum, sive, feudum multis modis constitui: Nullo autem transferri jus feudi, sive feudum ipsum, h. e. jus



ius in re, sine e. g. investitura, adeo ut etiamsi quis rem quam-  
 piam sibi à Domino in feudum dari stipulatus sit, & Dominus  
 eandem se eidem in feudum daturum sponderit, imò jusse-  
 rit, feudi nomine possessionem rei occupare; is tamen feudum  
 rectum hoc ipso non adquirat: cum aliud sit, quærere de con-  
 ventione, sive contractu perfecto, quàm obligationem & obser-  
 vantiam; & aliud sit quærere, de translatione Juris in re, s.  
 Domini vel quasi, possessionis vel quasi: hinc enim & ad jura  
 feudi acquirenda, omninò insuper etiam requiritur traditio,  
 Joh. Andreas Georg. *in d. repetit. feud. c. 14. n. 32.* Per nos tamen  
 cuilibet non tantum licet suo quoque hic iudicio uti: verum  
 etiam, quæ de distinctione hac alii tradiderint, conferre.

## CAP. III.

*Dantes & accipientes feuda, suos inde habent  
 peculiare Titulos: quos inter, est hic,  
 quo cognominantur Domini: cujus  
 cognominis ratio inquiritur.*

## I.

**E**gimus in præcedentibus duobus Capp. *de his qui feuda  
 nova dare possunt: nec non, quæ inter constituere feudum, &  
 feudum acquirere sit differentia.* Cum autem tam Dan-  
 tes quàm accipientes feuda, suos inde peculiare for-  
 titi sint Titulos, placuit, antequam ad alia prioribus similia  
 progredimur, in gratiam studiosorum juris feudalis, hos prius,  
 in hoc & nonnullis inseqq. Capp: nonnihil diligentius lustra-  
 re, eosque simul à perperam imputati barbarismi, sive rudita-  
 tis & novitatis vitii notâ liberare. Quæ res, si fortè cuiquam  
 videatur levis ac inutilis: quippe quod nemo penè Interpp. sit,  
 qui in iisdem recensendis atque explicandis aliquid operæ  
 impenderit: ipse etiam *Cl. D. D. Feltman, Antecessor in alma Grö-  
 ningana primarius, in illo suo, quem de Titulis honorum & officiorum  
 conscripsit, & ante paucos annos in publicum edidit, tractatu.*

B

horum



horundem ne mentionem quidem fecerit : is meminisse debet, non tantum nostrum non esse, *D. D. Feltmanni* institutum rimari, & utrum ille quoque Titulos hosce, operâ sua minus dignos habuerit? an verò, putaverit superfluum, cum apud omnes & singulos, hac præsertim ætate, tituli in tanto habeantur pretio & affectatione, ut eosdem in literis, alloquio, ipsa etiam conversatione familiari omisisse, penè sit capitalius, quàm quæcunq; in aliquem maledicta & convitia congestisse, de Titulis hisce multa dicere & præcipere : Verum etiam, quod, quamvis videatur res levis ; non tamen propterea nobis muto planè silentio hic prætereunda fuerit : Cum nec *Augustissimum Imp.* puduerit curæ, rebus etiam ludicris impensæ. *l. ult. C. de aleator.* fortè studiosus Juris, uti speramus, in his quoque inveniet, quod si non abundè proderit ; saltem tamen animum satis delectaverit. Sed ad rem!

II. Tituli illi, quibus Dantes feuda, (de his enim prius videbimus) insigniri ac cognominari solent, partim sunt *legales sive textuales*, qui nempe in ipsis feudorum libris expressè illis tribuuntur : partem verò sunt *Magistrales*, qui ab Interpp. & Dd. tantum commenti & conficti, usu postea invaluerunt, & de dantibus feuda etiam vulgo prædicari solent.

III. *Legalium Titulorum* omnium primus & frequentissimus, est *Titulus, Dominus*, quo feuda dantes passim in libris feudorum insigniuntur, uti videre est in *1. Feud. l. §. 1. & seqq. qui feuda dare poss.* & *1. Feud. 13. de alienat. feud.* Item. *2. Feud. 8. vers. rei autem.* & *2. Feud. 31. si Vasall. feud. priv.* *2. Feud. 39. §. si inter. de alien. feud.* & locis aliis pluribus. Adeo ut *Illustris Dn. Fresneus* in *gloss. med. & infim. latinit. h. v.* pro observatione tradat & dicat : *Nomen, Dominus, ubicunque id in legibus ac statutis Principum indefinitè, nulloque alio vocabulo addito legitur, designat Dominum feudi, huncque subintelligendum esse, & quidem in relatione ad feudatarium sive Vasallum.* De cujus tamen asserti veritate, saltem supposita universalitate non sine ratione dubitamus, tantoque magis, quod nec ipse *Dn. Fresneus*, ullum auctorem, qui idem ipso cum tradat, laudet, aut laudare queat.

IV. Vertitur autem primaria circa hunc Titulum difficultas in hoc, *quæ, nempe, hujus Tituli, sive cognominationis Domini, sit ratio,*



ratio, & quo respectu Dans feudum, Dominus, cognominetur & dicatur? Utrum nempe proprie, respectu scil. ipsius Rei in feudum Vasallo datae? ceu cujus dans revera Dominus est, & manet, saltem Directus, utpote, solo usufructu feudali in Vasallum transeunte. 2. Feud. 23. in fin. An verò improprie & abusive, respectu sc. & tantum ratione personæ feudum accipientis sive Vasalli, quatenus hic feudum danti ad fidem, reverentiam, obsequium & servitia Vasallatica præstanda est obligatus, ejusdemque Imperio & Jurisdictioni subjectus: consequenter solius honoris & reverentiæ causa Titulo hoc Domini honoretur & appelletur?

V. Quam posteriorem opinionem imprimis propugnat Francisc. Hottomannus, in disputat. feudal. 3. & in lexic. feudal. h. v. Dominus, quique eundem hætenus sequitur & defendit, D. D. Ludvvel. in synops. feudal. c. 5. tradentes: Dantem feudum in libb. Feudorum Dominum appellari, neutiquam ob rem in feudum datam; sed solum ac tantum externa reverentia, ac honoris ergo, ratione Imperii & Jurisdictionis, quam is feudi datione in Vasallum consequitur: Usurpationemq; hanc nominis, Domini, sapere stylum feudisticum & barbaricum, sive, ut dicit Laurentius Valla, stylum Gothicum, secundum illud vulgi verbum: qui te judicat Dominus tuus est. Jacob Menoch. l. consil. 21. n. 10. & consil. 75. n. 2. Ludovicus Romanus. l. consil. 70. n. 52. Sensu scil. ac significato eodem, quo ipse Imperator, Dominus & in Imperii subditos Dominationis Jure pollere dicitur in 5. Feud. 10. in princ. & §§. seqq. nec non ceteri Imperii Principes, Comites: Imò quicumque superioritatem quampiam, etiamsi modicam & subalternam sive subordinatam super alios habent. d. 5. Feud. 10. §. Item si reisa alicujus Domini, & §§. seqq. etiam vernacula nostra superiores respective tales veneramur Titulo Allergnädigster Herr / Gnädigster Herr / Gnädiger Herr / etc. licet nulla intercedat vel subjectionis, vel vasallagii obligatio.

VI. Verum enim verò, licet non negemus, Dominus, nomen, ex numero eorum esse, quæ πρὸς τὴν dicuntur, hoc est, quæ homonyma sunt, deque diversis subjectis, horumq; diversis considerandi modis, diversis usurpari & prædicari soleant significatibus: sicque in feudorum libris, idem nomen, Dominus, interdum ratione Imperii & Jurisdictionis, de superioribus,



quibus honorem & reverentiam ex quacunque ratione debemus prædicetur, hætenusque honoris titulus sit, ut in 1. Feud. 5. ubi conjux dantis feudum Domina vocatur ibi. *sciens Dominum vel Dominam ibi esse*, nec non in 1. Feud. 6. ubi Ecclesiæ Advocatus sive patronus, *Dominus plebis* dicitur. (a.) ne de Imperatore, Ducibus, Marchionibus, Comitibus dicamus. Attamen propterea non tantum hæc nominis, *Domini*, de tantæ dignationis personis usurpatio, licet *impropria* sit, notanda non erat barbarica, vel Gothica, vel soli Feudistæ usitata: cum eadem etiam sensu ac significato hoc Vett. Impp. Jctis, optimæque Latinitatis auctoribus aliis probata sit, uti hoc fusius demonstravimus in *Hodegeta Juris*, edit. noviss. p. 228. & seqq. v. *Dominus*, ad quem studiosum Juris remittimus, nec non ad Guilielm. Forner. 1. *select.* 1. Barnab. Brisson. in *lexic. Jur.* v. *Dominus*. Christoph. Besold. in *annot. ad Docum. Monaster. Wirtemb. Alba Domin. lit. a. & b.* Verum etiam & longè minus, ex omnibus hisce suppositis Hottomannianis inferri & concludi potest, quod dans feudum semper & tantum honoris ergò, *Dominus* dicatur, nunquam autem etiam propriè & in consideratione rei in feudum alicui datæ, quod ipsum est, de quo hic quæritur & contra Hottomannum asseritur, nempe, Dantem feudum, in libris feudorum, dici *Dominum*, non tam impropriè, & in relatione ad personam Vasalli, solius honoris & reverentiæ ergo; quam potius propriè & respectu rei ipsius in feudum datæ, ceu cuius, dans feudum, est & manet *Dominus*; solo usufructu feudali in eadem in Vasallum translato.

(a.) *Liceat nobis scena, quod ajunt, sive instituto nostro hic servire, terminumque hunc, Dominus plebis, aliquantisper morari, ejusdemque significatum rimari: Nam quod supra innuimus, conjecturamus, per Dominum plebis in 1. Feud. 6. rubr. & nigro, designari Episcopatus, vel Capituli collegiati, aut Monasterii, aut cujuscunq; Ecclesiæ alicujus Advocatum Laicum, uti vocatur in cap. præterea. 23. X. de Jure patronat. c. in quibusdam. 12. X. de pœn. c. ult. de reb. Eccl. non alien. Can. Salvator. 1. quæst. 3. Item. 2. Feud. 27. §. quicumque. 8. ubi Gothofred. in not. & passim. Vernacula nostra, eines Bistums/ Stiffts/ Closters/ Bogt/ Ober- Bogt/ Schultheiß/ Ober- Schultheiß. Interpp. Feudd. veteres penè plerique, (saltem quos mihi conferre & inspicere licuit.) & ex illis, in primis Alua-*

rotus;



rotus: Mattheus de Afflictis: Jacobus de Belviso: Martinus de Caratis, sive Laudensis: ipsa etiam glossa ordinaria, terminum hunc silentio præteriere; an quod illis temporibus, is, qui titulo hoc indicabatur, omnibus tam notus fuerit, quam notissimus? an verò quod officium hoc simul & nomen, in aliud tum fuerit transmutatum: feudistam verò, textum hunc, pro ut eum invenit, καλὰ πῶδα retulerit? hic morari nolumus: Recentiores verò, circa terminum hunc explicandum, curiosiores quidem fuere, sed conjecturis adeo variarunt, ut rem obscuram, non tam dilucidarint, quam obscuriorem reddiderint. Etenim Cujacius in d. 1. Feud. 6. Dominum plebis, interpretatur, Vice Dominum, *Quidam* / *cujus etiam in jure Canon. fit mentio, ut in can. volumus. 2. & Can. Diaconum. 3. distinct. 89. Can. Salvator. 1. quæst. 3. cap. in quibusdam. 12. X. de pœn. & passim.* Francisc. Hottomannus d. 1. Feud. 6. per Dominum plebis, intelligit Præpositum, & quidem arg. verborum. d. 1. in fine princ. ubi Feudista Præpositi meminit, *cujus tamen nullam neque in rubro, neque nigro fecerat mentionem: facit etiam d. can. Salvator. 1. quæst. 3. ubi inter rerum Ecclesiasticarum administratores, Præpositus quoque recensetur.* D. D. Dionys. Gothofredus, in hac alma Argentoratensi olim Juris Antecessor celeberrimus, explicat Dominum plebis, per Oeconomum, auctoritate Cassiodori. *variar. Epist. 1. & arg. l. 14. C. de SS. Eccles. l. 33. §. 4. C. de Episc. & Cleric.* Petrus Gregorius, in 15. syntagm. Jur. Univ. 24. n. 12. nec non Balzaranus, ad d. 1. Feud. 6. putant, Dominum plebis eundem esse cum eo, qui aliàs Plebanus vocatur, non quidem ille, qui vulgo Curio dicitur ac curam animarum habet; sed iste, qui curam habet plebis alicujus Parœcia, qua redditus ab illâ exigendos. D. D. Tabor in comm. ad d. 1. Feud. 6. vertit Dominum plebis, per Capituli alicujus Decanum. D. D. Rhetius. d. 1. Feud. 6. Hottomanni conjecturam hæcenus probat, si Præpositi nomen, accipiat generalliter, pro quocunque, qui dignitate & potestate quapiam aliis præest; Neutiquam autem, quatenus Præpositura est specialis quidam dignitatis Ecclesiasticæ gradus: tandem autem concludit, quod qui Præpositus hic per Dominum plebis intelligatur, non satis constet: opinatur autem, Feudistam terminum, Dominum plebis, secundum vulgarem loquendi usum posuisse; non autem accuratè ponderasse. Uno verbo, tanta est, circa termini hujus, Domini plebis, explicationem conjecturarum varietas, ut D. D. Arumæus. 3. feud. 5. cum Hottomanno, non vereatur dicere: Titulorum horum, nempe, 1. Feud. 1. & 1. Feud. 6. auctorem aut non fuisse eundem, aut illum, quicumque is fuerit,



is fuerit, tunc non fuisse in mentis potestate, adeo contortè Tit. hunc 1. Feud. 6. esse conscriptum. Verum, cui bono in scirpo hoc nodus quaritur? cum tam evidens sit, quam evidentissimum, pradicatum hoc, Dominus plebis, nec vice Domino, nec Defensori simplici, nec Præposito, Oeconomo, Plebano, Patrono nec Procuratori, nec ulli alii ex rerum Ecclesiasticarum administratoribus; sed soli Ecclesie Advocato Laico adquatè convenire: & quod ad omnes hos Dominus Plebis, sive Ecclesie alicujus Advocatus se habeat, tanquam terminus excedens ad excessos: potest Advocatus Episcopatus, suo modo etiam dici vice Dominus, quatenus nempe vice & nomine Episcopi, partibus ipsi creditis præst: sed non est vice Dominus in specie sic dictus: nec hic est Episcopatus Advocatus propriè dictus, sed uti officia hæc in eodem Episcopatu sunt diversa, e. g. Illustr. Dn. Comes in Hannau &c. est Episcop. Argentor. Advoc. superior, Ober-Bogt: Illustris v. & Generol. Dn. à Wangen vice Domini officio defungitur: pariter quoque sese cæteræ functiones nominata, sese habent, & longè evidentius ad Ecclesie Advocatum Laicum: illos enim omnes & singulos, Episcopus & Capitulum suo placito constituunt & iterum destituunt; non autem semper & aequè Advocatum Ecclesie, ceu quem ut plurimum, ipse Imp. qui summus omnium in Republica Christiana Ecclesiarum Advocatus est, constituit & ordinat: sic alia atque alia, sunt diversorum horum rerum Ecclesiasticarum administratorum functiones: Advocati enim officium est, saltem olim erat, & esse debebat inter plebes parœcia sibi commissa, h. e. in oppidis, villis, pagis ad Ecclesiam hanc vel illam pertinentibus Justitiam administrare, sive Jurisdictionalia tam civilia, quàm criminalia, hæcque & capitalia & non capitalia exercere. Unde etiam potestas hæc cognominatur in specie Advocatia, Advocatiæ bannum, Jurisdictio Advocatitia, Bogten/ Bogten-Gericht/ sive Geboth/ Bogtenliche Obrigkeit / quæ inter simplicem & territorialem Jurisdictionem est gradu quasi intermedia: indeq; etiam hujusmodi Advocati, Bögte / Ober-Bögte / Schulteissen / Ober-Schulteissen / sua certa & determinata ab Ecclesia illa & ex bonis illius habuerunt beneficia, compendia, emolumenta & jura, Bogt-Rechte / e. g. exigendi à plebe tali servitia, item, Jus mortuarium, das Haupt-Recht/ das Herd-Recht / e. g. Rauchhenn/ Frevel / sive mulctarum compendia, de quibus testatur Chockier. tr. de Advoc. quæst. 59. quod illud jus, hodie ubi vis ferè terrarum parte tertia definitum sit. Item Bogthabern: cujus quantum, ex regionis vel vicinorum consuetudine desumendum esse idem Chockier. d. tr. quæst. 85. dicit: Gast-Recht / sive einkehr/ fodrum, albergarias,



albergarias, Jägerak/ Hundelegen/ & quæ alia talia : quæ jura illis competunt, neutiquam ob subjectionem ; sed tantum propter labores, sumptusque ferendos : confer. d. cap. 23. X. de Jure patronat. Quæ jura & Advocatitiam potestatem, cum Advocati hi, homines secularis potentia, successu temporis, nimium extenderent & non tantum à plebe plura & intolerabilia exigere servitia : Verum etiam de possessionibus Ecclesiasticis ac bonis ipsis prohibitu suo ordinare præsumerent. vid. d. cap. 12. X. de pœn. absolutamq; sibi subjectionem, aliaque insignia Jura sibi arrogarent, facti sunt Ecclesiis onerosi, atque ob insolentiam tantam, dominationisque aviditatem ipsis etiam Episcopis, Abbatibus &c. exosi, adeo, ut, quod olim Ecclesiæ summi beneficii loco habuerunt, ab Imp. Advocatum obtinuisse; idem postea, ob abusum hunc, potius & longe commodius reputarunt, talibus Advocacis & defensoribus carere: uti videre est in Besoldi annotatis, ad docum. Monaster. Wirtembergensium. & Mageri tract. de Advocatia, D. D. Heyderi tract. von Reichs-Bogtzen. Wehneri observat. pract. v. Bogtzen/ Besold. Thesaur. pract. v. Bogtzen. & ab his laudatorum scriptis : & crediderimus, quod quemadmodum in constit. Fridrici I. Imp. Aug. quæ habetur 2. Feud. 27. tales insolentia Advocatorum. §. 8. notantur & prohibentur : ita etiam Feudistam in d. 1. Feud. 6. princ. easdem tangere, & in specie, quod, Dominorum plebis s. Advocatorum arrogantia in tantum excreverit, ut etiam ausi fuerint, feuda nova de bonis Ecclesiæ Laicis dare, sive, militibus suis beneficiare : imò, ea, quæ eorundem administrationi credita fuerunt, aliis viris Principibus appropriare, & ab his in feuda recognoscere, uti exempla talia nota sunt & passim obvia. Hæc de Domino plebis, termino, propter singularitatem (utrum enim alii eodem usi, confitemur, quod nos nullibi invenire potuerimus : ) satis obscuro, oblata hac occasione, dixisse sufficiant, & ad problema nostrum revertimur.

VII. Quod probamus non tantum ex hoc ipso Hottomanniano supposito postulato, quod dans feudum in libris feudorum, stylo feudistico, sive barbarico, & abusivè Dominus dicatur : siquidem tanto minus hoc præsumendum, quanto magis in dubio, verba naturaliter, propriaq; sua significatione esse accipienda & intelligenda ; neutiquam v. improprie, accidentaliter, fide & civiliter, ipsa recta ratio & jura dicunt. l. 69. ff. de legat. 3. l. 7. §. 1. ff. de supellect. leg.

IX. Verum etiam ex ipsa evidentia : quippe quod res ipsa à Domino alicui in feudum data, in libris feudorum dicatur.

catum



catur esse in *Dominico dantis*, ut in 2. *Feud.* 35. *ibi. in Dominico suo, h. e. in Dominio suo, substantivè nempe voc. Dominico sumpta, vel per ἑλλειψιν, subintellecto substantivo, jure scil. sensu hoc, feudum ad patrimonium Ecclesiae reversum esse, & in ejus patrimonio haberi, sive, pleno jure Ecclesiae proprium esse; in oppositione ad id, quod ab alio adhuc tenetur in servitio: quo significatu etiam usurpatur in Lombarda. 2. Tit. 51. §. 15. & ll. Alemannic. l. 22. ibi. in Dominico: & Ripuariis. Tit. 1. leg. 5. & in Capitul. Regum Francor. 3. ubi multotiens repetitur. confer. D. D. Bitsch. in comm. ad d. 2. Feud. 35. Matth. Stephani. 4. feud. 4. h. voc. Cujac. in consult. 17. & novissime Dn. Fresneus, in glossar. med. & in sim. latin. h. v. Si itaque res in feudum data, adhuc est & manet in dantis Dominio sive proprietate, licet minus plena, atque inde dicitur *Dominica*, oportet omninò, dantem quoque ejusdem esse *Dominum*, eumq; propterea in libris feudorum *Dominum* dici. Köppen. obs. feud. 1. n. 5. Et quidem eadem ratione, qua is, qui rem in feudum datam accepit, exinde *feudatarii* nomen sortitus, nempe ab ipso feudo collato; non à Domino conferente. 2. *Feud.* 3. vid. Fridric. à Sande, in *pralim. comm. in consuetud. feud. Geldr. n. 19.* Hottom. in *lexic. Jur. feudal. h. voc. Schneidev. tr. de feud. p. 1. n. 21. pag. 27.* Rudinger. 1. *method. Feudal. 8. n. 1.* Petr. de Gregor. *tr. de concess. feud. p. 1. quest. 13. ac beneficiarius dicitur 2. Feud. 55. princ. neutiquam à virtute, sive beneficentia & liberalitate Domini; sed à re ipsa in beneficium sive in feudum accepta: quæ ipsamet etiam exinde à Feudista, beneficiata, nominatur in 2. Feud. 23. sive beneficiaria, in 2. Feud. 8. vers. rei autem: atque sic respectu Rei, sub conditione & qualitate feudali datæ, (feudum enim & beneficium, lingua Lombardica promiscuè usurpari, ne quidem dubitandum est: confer. Oldendorp. d. 5. action. Tit. de action. beneficiar. Anton. Niger. tract. de Exception. c. 8. §. 27. n. 6. & seq. Ciron. in π. ad Jus Canon. Tit. de feud. pag. 215. ubi fusius de beneficii nomine agit.)**

IX. Hocq; argumentum tanto arctius stringit, non tantum, quod nullibi in libris feudorum legatur, dantem feudum dici *Vasalli*, h. e. personæ feudum accipientis *Dominum*, *des Vassallen oder Lehen-Manns Herr*: minus accipientem dantis *Hominaticum*, uti probè monet Marc. Anton. *Dominic. tr. de prerogat. allod. cap. 5. sed communius cum adjecto hoc, nempe,*

*Domi-*



*Dominum feudi*, s. *Dominum rei in feudum datæ*. 2. *Feud. 2.* etiam nostra vernacula, *Lehen-Herr/Lehen-Mann/ κατὰ διαβολὴν* & in oppositione ad *dominum domicilii*, quod accipiens feudum fortè sub alio habet. Nemo enim *Vasallus*, per solam rei in feudum dationem & acceptionem, h. e. ob infeudationem, fit & est dantis subditus: minus eidem ratione *Jurisdictionis* aut *Imperii subjectionis* juramentum sive *homagium*, die *Huldigung* præstat; sed tantum ratione rei in feudum datæ, jurat *fidelitatem vasallaticam*, die *Lehen-Pflicht/hocq;* solo respectu, *Domino feudi ad servitia*, & quidem tantum *vasallatica præstanda obligatur*: *fidelitas enim vasallatica*, qua talis, tantum ad feudum, sive *jura feudi*, quæ accipiens feudum, à dante feudum sive investitore consequitur: simul & ad *consuetudinem curiæ feudalis feudi* hujus restringitur, secundum formulam investituris inseri solitam: *wie solches Lehens/ aut, solcher Lehen/Recht und Gewohnheit ist*: atque sic non indefinitely, & absolute *wie Lehen-Rechtens und Gewohnheit ist/* uti minus considerate docet *D. D. Bechman. 4. Exerc. feudal. ad 2. Feud. 7. n. 6. pag. 93.* sed definite & relate, nempe secundum *jura*, hujus scil. de quo quæritur, non alius feudi, & secundum *consuetudinem* hujus, non alius curiæ feudalis: quod *arbitror omnino observandum esse.*

X. Verum etiam, quod de dante *Feudum*, soloq; hujus respectu, omnes veri & juridicè sic dicti *domini & Domini* affectiones prædicentur, e. g. quod, uti jam supra diximus, *directum Dominium* sive *proprietas beneficiatæ rei*, sit & maneat penes dantem. 2. *Feud. 23. in fin. & ibi Dd.* in accipientem verò transeat tantum *ususfructus feudalis*, (quem *Præctici* vulgo, invitâ *Jurisprudencia*, vocant *Dominium utile*,) rei in feudum datæ. d. 2. *Feud. 23. in fin.* ob quod dans feudum, habeat *directam rei in feudum datæ vindicationem*. 2. *Feud. 2. in pr.* *Vasallus* verò sive accipiens feudum, sive *rem ipsi in feudum datam*, tantum quasi vindicare possit. 2. *Feud. 8. vers. rei autem.* ita ut eodem respectu & quo hic dicitur & habetur tanquam *Dominus* d. 2. *Feud. 8.* eodem respectu etiam dans feudum, dicitur & est verus *Dominus*. Item, quod *vasallus* *in scio & invito dante*, *rem in feudum datam atq; acceptam* nec oppignerare, minus eam, in

C

totum





totum vel in tantum vendere. *d. 2. Feud. 8. §. 1. & 2. Feud. 9. in pr. §. 1. aut de ea, ne quidem pro animâ, per ultimam voluntatem disponere possit. d. 1. Feud. 8. in princ. & d. 2. Feud. 9. §. 1. aut quocunque alio modo eandem in alium alienare. 1. Feud. 13. quidpiam ve in præjudicium dantis in eadem facere. 2. Feud. 8. §. 1. fac. 2. Feud. 34. §. 2. adeo ut ne quidem feudum in alius alicujus, quàm solius Domini manu refutare possit. d. 2. Feud. 9. princ. & §. 1. & 2. Feud. 11. & seqq. Item. 2. Feud. 38. Hinc Vasallo masculis nullis relictis, à se, vel primo acquirente descendentibus, mortuo, vasallagio ve jure, quocunq; alio legitimo modo soluto ac finito, res in feudum data ad Dominum suum dicitur redire ac reverti, ipsoq; Jure cum proprietate iterum consolidari. 1. Feud. 5. & 1. Feud. 6. §. 2. Item. 2. Feud. 72. & passim: & quæ plura alia talia prædicata ex libb. feudorum adduci, atque ex iisdem, dantem feudum omninò & primariò in libb. feudorum Dominum dici, respectu Rei, in feudum datæ; non autem solius honoris, reverentiæque causa, si fusius hoc diducere operæ esset pretium.*

XI. Hoc facilè largimur, dantem feudum in libb. feudorum passim Dominum dici & non tantum *simpliciter*, & sine ullo alio verbo adjecto, ut in 2. Feud. 2. & 2. Feud. 5. nec non *Tit. seq.* Verum etiam nonnullibi cum addito possessivo pronomine, appellari, *Dominum meum, Dominum suum*, ut 2. Feud. 6. & *Tit. seq. 7. ibi. Dominus meus, & 2. Feud. 24. §. 2. ibi. Dominus suus*; neq; etiam inficiamur, *Dominum & Vasallum* sibi invicem correlative opponi. 2. Feud. 3. etiam nostra vernacula, curiarumq; feudalium stylo solemni, dantem salutari, *Gnädigster oder Gnädiger Herr*/etc. Pariter etiam de accipiente feudum sive Vasallo, in relatione ad dantem feudum, quam plurima prædicari jura personalia, nempe, quod accipiens feudum obligetur danti ad fidem. 2. Feud. 3. & seqq. ad servitia. 2. Feud. 107. ad reverentiam & obsequium præstandum. 2. Feud. 22. Nec non, quod accipiens feudum debeat se exhibere danti devotum, promptum, humilem. 2. Feud. 23. item, quod sit jurisdictioni dantis, hujusque judicio subjectus. 1. Feud. 18. & 2. Feud. 5. 6. 7. nec non 2. Feud. 45. in fin. 2. Feud. 55. §. 2. & quidem adeo, ut etiam ad obsequium cogi, compelli & coerceri possit. 2. Feud.



*Feud. 2. in princ.* quodque propterea stylo curiarum feudalium à dante appelletur fidelis, getreuer / Lieber getreuer / homo, Mann / Lehenmann / & quæ alia talia plura, passim, etiam in ipsis libb. feudorum occurrentia.

XII. Verum enim vero, sit ita Vasallum à feudum dante sic appellari, etiam de Vasallo omnino talia prædicari; non autem videmus, quomodo salva analogia Juris feudalis, & salva ratione, imò salvis logicorum præceptis, ex prolatis hisce securè inferri possit. E. feudum Dans dicitur Dominus in libb. Feudd. solius honoris & reverentiæ causa; non autem respectu rei in feudum datæ? quippe quod evidenter appareat, illationes hæc & causa & accidente fallere: imò in illis pro certo supponi, quod ipsum in quæstione est: Etenim quid, si dignitate major, à dignitate minori, e.g. Princeps à Comite, aut à Prælato quopiam feudum recognoscat? vel nobilis à plebejo? vel si dans & accipiens sint undiq; dignitate pares? Et quem præterit, contingere posse, imò sæpè contingeat, ut in Domino feudi alia insuper causa concurrat, obquam is à Vasallo, etiam citra omnem feudi collati considerationem, Domini aut quòcunq; alio honoris & reverentiæ Titulo veniat compellendus & honorandus, e.g. si accipiens feudum, jam antea sit dantis subditus, saltem Landsassius, quem vocant, feudumque in curte Domini habeat, possideat? Ne dicamus, quod per civilitatem & curialitatem, omnes & quæcunq; inferioris conditionis personæ, alias in sublimiori dignationis gradu constitutas communi & populari sermone compellare & appellare soleant Dominos, Mein Herr / Meine Herren / Gnädiger Herr / Gnädige Herren / quamvis planè nulla ab iisdem recognoscant & habeant feuda, vasallagiive, aut jure quocunq; alio, illis obstricti & addicti sint. Arbitramur itaque verius esse, Dantes feudum, in libris feudorum, feudi Dominos, appellari, non tam honoris, cultus, reverentiæve causa, quàm potius, magisque proprie & adæquatè, saltem primariò & principaliter, respectu ipsius Rei, alicui in feudum datæ.

C 2

SIT



SIT COROLLARII LOCO,  
HÆC ENANTIOPHANIARUM JURIS,  
DECAS II.

- I. Studii Juris duæ sunt positiones, Jus publicum & Jus privatum. §. ult. *J. de Just. & Jur. l. 1. §. 2. ff. eod.*  
*Imò.* Studii Juris tres sunt positiones, Jus Divinum, Jus publicum, & Jus privatum. *l. 23. C. de SS. Eccles.*
- II. Jus publicum ad statum Rei Rom. spectat. §. ult. *Inst. de Just. & Jur. l. 1. §. 2. ff. eod.*  
*Imò.* Jus privatum quoque ad statum Rei Rom. spectat. §. ult. *Inst. de his qui sui vel alien. Jur. ibi. interest Reipubl. ne quis re sua malè utatur. l. 9. ff. eod. ibi. tutela causa publica est: munusque publicum. princ. Inst. de Excus. Tut. & pupillis subvenire ad curam publicam pertinet. Sic Reipublica inter est, mulieres doctes suas salvas habere. l. 2. ff. de Jur. dot. Item, Reipublica inter est, suprema hominum elogia servari. l. 5. ff. Testam. quemadmod. aper. Inter est etiam Reipublica lites amputare. pr. *Just. de pœn. tem. litigant. Atq; ideo usucapio bono publico introducta. l. 1. ff. de usucap. Inter est etiam Reipublica, ne delicta maneant impunita. l. 51. §. 2. ff. ad l. Aquil. l. 14. C. de pœn. l. 27. §. 4. ff. de pact. ibi. expedit. Reipubl. furti & injuriarum pœnam timeri. Novell. 3. in pr. ibi. interest Reipublica locupletes habere subditos, &c.**
- III. Privatum Jus est, quod ad singulorum utilitatem pertinet. §. ult. *Inst. de J. & J. l. 1. §. 1. ff. eod.*  
*Imò.* Jus, quod ad singulorum utilitatem pertinet, non est Jus privatum commune, sed privilegium & Jus singulare. §. 6. *Inst. de J. N. G. & C. vers. planè ex his: jus enim privatum commune, non in singulas personas, sed generaliter constitutum est. l. 8. ff. de ll.*
- IV. Jus privatum ad singulorum utilitatem pertinet. *d. §. ult. J. de J. & J. l. 1. §. 1. ff. eod.*  
*Imò.* Jus publicum quoque ad singulorum utilitatem pertinet: e. g. Ecclesias habere, ad singulorum utilitatem pertinet. *Novell. 17. c. 4. Item, habere Sacerdotes, qui sacra ministrant. l. 8. C. de summ. Trinit. & Magistratus, qui iura reddunt. l. 2. §. 13. ff. de O. J. & habere amplam & benè constitutam Rempublicam.*

V.

*Imò.*

VI.

*Imò.*

VII.

*Imò.*

VIII.

*Imò.*

IX.

*Imò.*

X.

*Imò.*



*publicam. l. un. §. 14. C. de caduc. tollend. & quod in Divinam religionem committitur, in singulorum fertur injuriam. l. 4. §. 1. C. de Heret.*

V. Jus privatum Rom. collectum est ex præceptis Naturalibus, gentium & civilibus. *§. ult. Inst. de J. & J. l. 1. §. ff. eod.*

*Imò.* Jus privatum Rom. collectum est tantum ex præceptis Gentium & civilibus. *§. 1. Inst. de J. N. G. & C. ibi. populus itaque Rom. partim suo proprio, partim communi omnium hominum Jure utitur. l. 9. ff. de J. & J.*

VI. Jus naturale natura omnia animalia docuit. *princ. J. de J. N. G. & C. l. 1. §. 3. ff. de J. & J.*

*Imò.* Jus naturale rerum natura cum ipso genere humano prodidit. *§. II. Inst. de R. D.*

VII. Jus naturale non humani generis proprium; sed omnium animalium. *d. princ. Inst. de J. N. G. & C. & d. l. 1. §. 3. ff. de J. & J.*

*Imò.* Omne Jus hominum causa est constitutum. *l. 2. ff. de stat. hom.*

IIIX. Conjunctio maris & foeminae, quam nos matrimonium appellamus, est Juris naturalis. *princ. Inst. de J. N. G. & C. l. 1. §. 3. ff. de J. & J.*

*Imò.* Conjunctio illa maris & foeminae, quam nos matrimonium appellamus, est Juris Civilis. *princ. & §. 12. Inst. de Nupt. junct. §§. 1. & 2. Inst. de patr. potest.*

IX. Procreatio sobolis est Juris, & quidem naturalis. *princ. Inst. de J. N. G. & C. d. l. 1. §. 3. ff. de J. & J.*

*Imò.* Procreatio sobolis non est Juris, sed fervoris naturæ. *Nov. 2. c. 3. & opus naturalis concupiscentia. Novell. 39. c. 2.*

X. Educatio liberorum est Juris naturalis. *d. princ. Inst. de J. N. G. & C. l. 1. §. 3. ff. de J. & J. l. un. §. 5. C. de R. Uxor. act. l. ult. §. 5. in fin. C. de bon. qua liber.*

*Imò.* Educationis necessitas sequitur ordinem & rationem potestatis. *l. 46. ff. fam. erisc. l. pen. ff. de agnos. & alend. lib. l. 16. ff. de Castrens. pecul. qua potestas est Juris Civilis. §. 2. Inst. de patr. potest.*

**FINIS.**



1874

I

M

S





Strasbourg, Diss., 1680-84  
X 2284278




VD77











CONJECTURARUM  
JURIS FEUDALIS.

DISPUTATIO II.

Quam  
DEO PROPITIO,


PRÆSIDE  
JOHANNES REBHAN,  
D. Cap. Colleg. ad D. Thomæ Præ-  
pos. S. Cæs. Pal. Com. & Colleg. Juridici Senio-  
re, Cod. & Feud. P. Ord. &c.

*publicè disputandam  
exhibet*

JOANNES CHRISTOPHORUS HIEN,  
Trarbacensis.

*d. mens. Octobr. horis, locoque solitis.*

A. O. R. clc lcc LXXXII.



ARGENTORATI,  
Literis JOHANNIS WILHELMI TIDEMANNI.

7.  
21  
490  
480  
96827

